



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De aliis nonullis conditionibus requisitis ad sententiam, & ubi, ac quomodo ea ferenda sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

vel saltem virtualiter continere absolutionem aut condemnationem, non tamen causam, quæ Judicem movit ad absolvendum vel condemnandum, *juxta c. Sicut 16. h. t.* nisi necessitas præcepti urgeat, prout urget in sententia excommunicationis, *c. 1. De sentent. excommunicati. in 6.* aut diversi effectus, quos sententia parere potest, expressionem causæ requirant.

§. III.

Quomodo sententia ferenda sit?

Primo ferenda est sententia partibus litigantibus ad eam audiendam vel trinâ citatione, vel unâ peremptoriâ citationis, cum illi, quorum interest audire iudicatum, debeant esse vel verè vel interpretativè præsentis, quales haberi non possunt, si citati non fuerint, & contumaciter absint, *Clem. Pastoralis 2. h. t.* Nisi factum sit notorium, ita ut Reo nulla defensionis causa competat. *Argu. c. Cum olim 12. juncta Glossâ V. absentis. h. t.* Si tamen legitimè citatus ad audiendam sententiam ex justa quidem, sed Judici ignorata causa absit, tenet quidem sententia, eo absente, lata, retractatur tamen, si legitimè absentia suâ impedimentum postmodum probet, aut probet eam ex alio capite iniquam fuisse, prout sumitur ex *c. Cum Beriboldus 18. h. t.* ut ne reus injustè gravetur.

Secundò ferenda est sententia cum causâ cognitionis, & servatis à jure præscriptis solemnitatibus, *c. Ad probandum 24. juncta Glossâ V. ex alia iusta causa h. t.* ita ut etiam Summus Pontifex in causis decidendis juris ordinem servare debeat

c. Incausis 19. h. t. Cæquitate hoc regente, & ad alios Judices redimere exemplo) nisi considerata necessitate vel utilitate dispensativè aliter agendum putet Pontifex, cujus plenitudini nihil obstat jus merè positivum humanum.

Tertiò debet ferri sententia definitivè purè & non sub conditione; per hoc enim si conditio propriè dicta sit facta & extrinseca esset, non definiretur proposita controversia, sed maneret suspensa. Feruntur tamen à A. A. ferri quidem eam subtili conditione non debere, tamen tenere, cum per appellationem in medium corrigi possit.

§. IV.

De alijs nonnullis conditionibus requisitis ad sententiam, & quomodo ea ferenda sit?

Scripti eam debere, & postea ex scripto ab ipso Judice recitari, & dicendo non stando proferri statutum habetur in *c. Et si 5. h. t. in 6.* (cum ut recitata sententiæ occultari non possit, si scripta non feratur, tum ut ipsi sententiam Judici ferenti major reverentia debeat nisi levis tantum & exigui momenti causa foret, inter viles præsertim penitentialis, quæ sine scripto expediuntur, ut fori alia consuetudo esset, quæ observari debet, aut sententia tantum esse interlocutoria; vel in causa notoria, vel personæ sententiam talem ferentes, si vestres essent, aut in dignitate constituta quibus conceditur ob dignitatis prerogativam, ut sententiam in scripto conceptam per alium partibus profertur sint &c.

Debet autem sententia ferri in loco publico

publico, ubi tribunal ordinarium habet Index (si ordinarius sit vel si delegatus sit ad universitatem causarum in loco delegantis; si vero delegatus sit ad particularem tantum causam decidendam, ferre sententiam potest in quovis loco honesto & congruo, cum certum tribunal non habeat) & tempore congruo, die scilicet non feriato, & eo tempore, ad quod citatio facta fuit; de die & non de nocte; prout sumitur ex c. *Consuluit*. 24. de offic. deleg. tum ut omni falsitati preveniatur, cui tenebræ potiùs quàm dies conducunt, tum ut ne partes extraordinarie graventur, si vel loco vel tempore extraordinario comparere debeant &c. Multum tamen in his potest ipsarum partium litigantium consensus & loci consuetudo, quæ observari debent.

§. V.

Contra quem ferri debeat sententia, quando Dominus agit per procuratorem, & quomodo sententia sit probanda?

DE jure Civili contra Procuratorem ordinariè ferri debet sententia, si per procuratorem civiliter agatur, & cum hoc nomine quidem absentis, lis contestata fuerit, l. 1. Cod. de sentent. & interlocut. &c. quia Procurator per litem contestationem fit Dominus litis, ut cum hoc quasi contractum censetur. Ius tamen Canonicum ad has legales subtilitates nihil attendit, ita ut sententia de jure Canonico valeat, si per Procuratorem, si in principalem personam absentem concipiatur, qui enim per alium facit, perinde est, ac si faceret per seipsum, juxta Reg. Juris 72. in 6.

Pirking. Compend.

Probari etiam potest & debet sententia, si scriptura deperdita sit, per duos testes c. *Cum olim* 12. de Privileg. ita tamen ut tria in tali casu probanda sint, actum scilicet fuisse celebratum, instrumentum super eo confectum, & hoc amissum fuisse, juxta l. *testium* 18. Cod. de Testibus.

§. VI.

Quomodo sententia ferenda sit conformiter Libello, & an si in illo certa causa expressa sit, ea probari debeat?

SENTENTIA ferri debet secundum tenorem & formam Libelli, *Clement. sapientia* 2. de V. S. & quidem in tribus conformis esse debet Libello sententia. In re scilicet (ut Index non pronuntiet de alia re, quàm quæ petita est, nisi universaliter illa insit rei petitiæ: aut causa, quæ agitur fuerit criminalis; vel in supremo tribunali agatur) in causa petendi (ut Index aliam causam non proferat) & in actione (ut eam actionem sequatur Index, quam Actor instituit) sive condemnet, sive absolvat.

Si specialem causam expressit Actor in suo Libello, & eam probare non possit, succumbit in iudicio, & reus absolvitur; quamvis post litem contestatam nova causa superveniret, ex qua vincere posset Actor, cum sententia feratur juxta causam, quam in iudicium deduxit; si verò ex generali tantum causa Domini v. g. nullâ speciali causâ expressâ res petatur, tum sufficit actori ad fundandam suam intentionem quamcumque justam causam probare. c. *Abbate* 3. h. t. in 6. vi cuius illi competat dominium v. g.

Bbb quid-